

The Electronic *Manipulus florum*
www.manipulusflorum.com

Consolacio q
cum fontibus proximo et primo

Numerum conuiuarum incipere
oportet a graciarum numero et progredi
ad numerum musarum, id est proficisci
a tribus et consistere in nouem, ut

non sint pauciores quam tres
nec plures quam nouem.
Non conuenit enim multos esse eo
quod turba est plerumque turbulentia;

nec loquaces, inquit, conuiuas
nec mutos eligere oportet quia eloquencia in foro,

silencium uero non in conuiuio sed in cubilio.

Sermones igitur illius temporis
habendos non de rebus anxiis, non
tortuosis, sed



ex quibus ingenium uenustans fiat et amenius
et cum quadam uoluptate utiles.



Agellius libro XV.

Agell. lib. 13. c. 11. recitans verba Varronis, qui
disseruit de apto conuiuarum numero. Dicit autem
numerum conuiuarum incipere
oportere a Gratiarum numero, et progredi
ad numerum Musarum, id est incipere
a tribus, et consistere in nouem;
cum paucissimi conuiuae sunt,
non pauciores sint, quam tres,
complurimi, non plures quam nouem.
Nam multos esse non conuenit,
quod turba est plerumque turbulentia,
vt Romae quidem constat, et etiam Athenis.
Nusquam autem plures cubabant.
Deinde ipsum conuiuum constat ex quatuor rebus,
scilicet si belli, id est pulchri,
homunculi collecti, si locus laetus,
si tempus laetum, si apparatus non neglectus.
Non loquaces autem, inquit, conuiuas,
nec mutos legere oportet, quia eloquentia in foro,
et apud subsellia;
silentium vero in cubiculo, non in conuiuio esse
debet. Sermones igitur illius temporis habendos
censem non de rebus anxiis aut tortuosis, sed
iucundos atque inuitabiles,
et cum quadam illecebra, et voluptate vtile,
ex quibus ingenium venustius fiat, et amoenius.

Iohannes Gallensis, *Compendiloquium*, 5.10.19
(Rome, 1655, pp.329-31).

Dicit autem
convivarum numerum incipere
oportere a Gratiarum numero et progredi
ad Musarum, id est proficisci
a tribus et consistere in novem, ut,
cum paucissimi convivae sunt,
non pauciores sint quam tres,
cum plurimi, non plures quam novem.
Nam multos inquit esse non convenit,
quod turba plerumque est turbulentia
et Romae quidem constat, sedet Athenis, nusquam
autem cubat. Ipsum deinde convivium constat
inquit ex rebus quattuor et tum denique omnibus
suis numeris absolutum est, si belli homunculi
collecti sunt, si electus locus,
si tempus lectum, si apparatus non neglectus.
Nec loquaces autem inquit convivas
nec mutos legere oportet, quia eloquentia in foro
et apud subsellia,
silentium vero non in convivio, set in cubiculo
esse debet. Sermones igitur id temporis habendos
censem non super rebus anxiis aut tortuosis, sed
iucundos atque invitabiles
et cum quadam illecebra et voluptate utiles,
ex quibus ingenium nostrum venustius fiat et
amoenius.

Aulus Gellius, *Noctes Atticae*, 13.11.2-4 (C.
Hosius ed., vol.2, pp.65-6, ll.14-27, 1-7).